# Area F 2005 Sight Recitation Poetry

Dicite 'Io Paean!' et 'Io' bis dicite 'Paean!'
Decidit in casses praeda petita meos;
laetus amans donat viridi mea carmina palma
praelata Ascraeo Maeonioque seni.
Talis ab armiferis Priameius hospes Amyclis
Candida cum rapta coniuge vela dedit;
talis erat qui te curru victore ferebat,
vecta peregrinis Hippodamia rotis.
Quid properas, iuvenis? Mediis tua pinus in undis
navigat, et longe, quem peto, portus abest.
~~Non satis est venisse tibi me vate puellam:~~
~~arte mea capta est, arte tenenda mea est.~~
~~Nec minor est virtus, quam quaerere parta tueri:~~
~~casus inest illic, hoc erit artis opus.~~

Book 2 Ars Amatoria